

In diébus illis:

- <sup>1</sup> **F**acta est super me manus Dómini  
et edúxit me in spírítu Dómini  
et pósuit me in médio campi, qui erat plenus óssibus,  
<sup>2</sup> et circumdúxit me per ea in gyro:  
erant autem multa valde super fáciem campi  
síccaque veheménter.
- <sup>3</sup> Et dixit ad me:  
«Fili hóminis, putásne vivent ossa ista?».  
Et dixi:  
«Dómine, tu nosti».
- <sup>4</sup> Et dixit ad me:  
«Vaticináre super ossa ista et dices eis:  
Ossa árida, audíte verbum Dómini.
- <sup>5</sup> Hæc dicit Dóminus Deus óssibus his:  
Ecce ego intromíttam in vos spírítum, et vivétis,  
<sup>6</sup> et dabo super vos nervos  
et succrésce faciam super vos carnes  
et superexténdam in vobis cutem  
et dabo vobis spírítum, et vivétis  
et sciétis quia ego Dóminus».
- <sup>7</sup> Et prophetávi, sicut præcéperat mihi.  
Factus est autem sónitus, prophetánte me,  
et ecce commótió;  
et accessérunt ossa ad ossa,  
unumquódque ad iunctúram suam.
- <sup>8</sup> Et vidi:  
et ecce super ea nervi et carnes ascendérunt,  
et exténta est in eis cutis désuper,  
sed spírítum non habébant.

- <sup>9</sup> Et dixit ad me:  
«Vaticináre ad spíritum;  
vaticináre, fili hóminis, et dices ad spíritum:  
Hæc dicit Dóminus Deus:  
A quáttuor ventis veni, spíritus,  
et insúffla super interféctos istos, ut revivíscant».
- <sup>10</sup> Et prophetávi, sicut præcéperat mihi,  
et ingressus est in ea spíritus;  
et vixérunt steterúntque super pedes suos,  
exercitus grandis nimis valde.
- <sup>11</sup> Et dixit ad me:  
«Fili hóminis, ossa hæc univérsa domus Israel est.  
Ipsi dicunt:  
“Aruérunt ossa nostra, et périit spes nostra,  
et abscíssi sumus”.
- <sup>12</sup> Proptérea vaticináre et dices ad eos:  
Hæc dicit Dóminus Deus:  
Ecce ego apériam túmulos vestros  
et edúcam vos de sepúlcris vestris, pópulus meus,  
et indúcam vos in terram Israel;
- <sup>13</sup> et sciétis quia ego Dóminus,  
cum aperúero sepúlcrá vestra  
et edúxero vos de túmulis vestris, pópulus meus.
- <sup>14</sup> Et dabo spíritum meum in vobis, et vivétis,  
et collocábo vos super humum vestram,  
et sciétis quia ego Dóminus.  
Locútus sum et fácio»,  
ait Dóminus Deus.

Verbum Dómini.